

viter, quæcunq; in latioribus scripturarum divinarum pratis, amplissimisq; Theologorum tractatum campis hinc inde de doctrinâ Spiritus S. deitatem, hypostasim, attributa, opera atq; beneficia explicante effloruisse videmus.

Probaturnempe Spiritus S. divinitas (1.) ex divinis appellationibus, quibus vocatur Jehovah, Deus, Jehovah Spiritus, oris ipsius spiritus, Domini spiritus, oris Christi spiritus, labiorum Messia spiritus, Dei digitus. (2.) Ex divinis proprietatibus, quæ sunt æternitas, immensitas, ubiquitas sive omnipræsentia, potestas sive omnipotentia, bonitas, sanctitas, veritas. (3.) Ex divinis operationibus illis potissimis, creatione, regeneratione, Ecclesiæq; gubernatione, cui est instar Regis, instar Ducis, instar aurigæ, procuratoris & moderatoris. Inde sunt summa illa ejus officia erga nos atq; beneficia, ubi est Doctor, Advocatus & Consolator noster. Docet nos Sapientiam, quâ intellectus informatur, voluntas temperatur, memoria confortatur: Docet Eloquentiam, est enim Orator disertissimus, eloquentissimus, potentissimus, instruit concionatores, erudit politicarum gubernatores, informat familiarum rectores. Est nobis Advocatus prudentissimus, fidelissimus & industrius: Patrocinatur miseris in judicio mundi externo, tentatis in judicio conscientie interno, trepidaturis in judicio universalis extremo. Est nobis omnibus Consolator perpetuus. Consolatur peccatores in desperationis tentamine; Consolatur infirmos in fidei luctamine; Consolatur tentatos in Satanae examine; afflictos in calamitatum & persecutionum gravamine; Et morituros in ultimo illo eodemq; difficillimo certamine. Atq; hæc suavissimis nobis adumbrantur comparationibus & signis hieroglyphicis: Vento assimilatur cœlesti ac vehementi propter singulares motus ac salutareseffectus, quibus mentes nostras & sonitu penetrat & aurâ vegetat & luce collustrat: Igni, quia calefacit, illuminat & purificat: Linguis, quas dispersit ad docendum, flectit ad eloquendum, accendit ad promovendum.

moven-